



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XXVIII. In causa Tridentinensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

S E S S I O X X V I I I .

ANNO
CHRISTI
1416.*In causa Tridentinensi.*

DI^{CE} Mercurii tertia mensis Martii fuit sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi solenniter celebrata, præsidente in eadem domino Ioanne episcopo Ostiensi. Fuitque celebratum in ea officium Missæ cum introitu, Cum sanctificatus fuero, &c. per reuerendissimum patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum. Et prædicto officio completo, superuenit ibidem sere-nissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, cum suis nobilibus. Deinde vero legebantur litaniae & aliae orationes, quæ in sessionibus legi solent. Prædictis vero peractis, accusata prius contumacia domini Friderici ducis Austriae, & aliorum non audientium se declarari incidisse poenas contentas in monitorio, reuerendus pater dominus Nicolaus episcopus Mersburgensis in contumaciam dictorum ducis Austriae & aliorum, pronuntiauit eosdem incidisse in poenas contentas in monitorio, prout in schedula quam manibus tenebat & legebat de verbo ad verbum, cuius tenor est inferius insertus, continetur. Et veniendo in eadem schedula ad insertionem monitorii, propter prolixitatem & laborem dominus Petrus de Lomburga, alias de Polonia, legebat monitorium, alias decretum. Et eo finito, dominus Nicolaus episcopus præfatus continuauit sententiam declarationis usque ad finem.

Declaratio in causa Tridentinensi.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus ecclesiam catholica-m repræsentans, in Spiritu sancto legitime congregata, ad futuram rei memoriam.

Decet sanctam matrem ecclesiam, eos qui salutis monita obstinata elatione contemnunt, non dimittere incorrectos, neque impiorum proteruiam sine digna castigatione præterire. Sane cum dudum de anno Domini millesimo quadrageentesimo decimoquinto, & mense Augusti, gravis querela venerabilis fratris Georgii episcopi Tridentinensis ad nos peruenisset, quod nobilis Fridericus dux Austriae ipsum in canonica possessione ecclesie ciuitatis

ANNO CHRISTI 1416.
Tridentinensis, ac oppidorum, castrorum, terrarum, vil-
larum, locorum, iurium & aliorum bonorum ad eamdem
ecclesiam pertinentium, alias sexdecim annis pacifice exi-
stentem, temere & de facto spoliasset, ac eamdem per no-
uem annos detinuisse ac detineret indebita occupatam,
ac ipsum cepisset, & in carceribus mancipatum pluribus
graubus violentiis affecisset, literasque quasdam promis-
sionis & iuramenta metu & impressionibus extorsisset con-
tra suam & ecclesiasticam libertatem ab eodem: quod-
que idem Fridericus clarissimo ecclesiae filio Sigismundo
Romanorum regi semper Augusto, cui super hoc per ip-
sum Georgium episcopum fuerat delata querela, vinculo
iuramenti se adstrinxisset, eiusdem serenissimi regis super
his stare præceptis, dicto que rege per sententiam decla-
rante & præcipiente ecclesiam & bona spoliata ac præfata
occupata eidem Georgio per ipsum ducem restituenda
fore; facere prætermisit, notam periurii manifeste incur-
rens. Quapropter hæc sancta Synodus, vocato dicto du-
ce, qui tunc in dicta ciuitate Constantiensi aderat, auditis
que suis defensionibus per suos aduocatos & procurato-
res, tam in sessionibus publicis, quam aliis congregationi-
bus, statutis & deputatis ad eamdem causam, quæ iura &
monumenta partium receperunt hinc inde producta, cum
instaret dictus Georgius episcopus per literas monitorias
præfatum Fridericum ducem; & alios occupatores & de-
tentores, nec non vassallos, nobiles, capitaneos, officia-
les & subditos ecclesiae Tridentinensis & ciuitatis, & alio-
rum bonorum prædictorum, sub peenis, sententiis & con-
stitutionibus diuæ memoriae Caroli quarti contra tales fa-
cinorosos & sacrilegos editis, & aliis grauioribus, requiri
& moneri pro restitutione dictæ ecclesiae, & bonorum
prædictorum, ac plenaria satisfactiōne, & alias sibi de
opportuno remedio prouideri. Quapropter eadem sa-
crosancta Synodus super notorietatem & aliis seruatis ser-
uandis in causa huiusmodi certiorata ad plenum, eam-
dem notorietatem & facti evidentiam, & alia in ipsa cau-
sa agitata attendens, volens indemnitati ecclesiae proui-
dere, nec minus animarum saluti dicti ducis & aliorum
occupatorum & detentorum, nec non vassallorum, nobi-
lium, capitaneorum, officiariorum & subditorum prædi-

ctorum consulere , præhabita deliberatione matura , vn-
decimo Kalendas Decembris sequentis eiusdem anni mo-
nitorium decreuit , cuius tenor sic incipit .

Decretum monitorii.

*Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis , vniuersis & singulis
Christi fidelibus salutem & omnipotentis Dei
benedictionem.*

^{Sup.lett.20.} Grauem querelam venerabilis fratris nostri episcopi Tridentinensis , &c. & sic finit. Literas monitoriales contradictum Fridericum ducem & occupatores & detentores huiusmodi , partibus ipsis auditis , & seruatis seruandis , prædictis partibus ad hoc legitime citatis , decreuimus fore concedendas , decernimus & concedimus in forma quæ sequitur , quæ quidem forma sic incipit .

Monitorium decretum in forma.

^{Sup.lett.20.} Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis , vniuersos & singulos venerabiles fratres , patriarchas , archiepi- scopos , episcopos , &c. sic finit. Quibus & cuilibet vestrum in præmissis dabimus plenam fidem. Datum Constantiae vndecimo Kalendas Decembris , anno a nativitate Domini millesimo quadrageentesimo decimoquinto , apostolica sede vacante .

Post hæc de anno Domini millesimo quadrageentesimo decimosexto , cum iam dictus Fridericus dux per antea de hac ciuitate Constantiensi recessisset , ipsa Synodo inconsulta , præfatumque monitorium in eius præsentia & suorum aduocatorum & procuratorum præsentia decre- tum , propter quemdam tractatum concordiaæ , quem spe- rabat in actis causæ plene constare , in eius personam le- gitimam non potuerit habere executionem , per edictum secundum formam monitorii antedicti . Et quia per eam- dem sanctam Synodum constituti fuerunt commissarii tam de sacro collegio reuerendissimorum patrum do- minorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium , quam de nationibus singulis , ad cognoscendum , videndum & examinandum , an antedictum monitorium esset debite executum : dictisque commissariis referentibus , ex pro- ductis constare , dictum monitorium fuisse debite & in lo-

ANNO CHRISTI 1416. cis deputatis executum, constetque notorie dictum Fridericum ducem & alios occupatores & detentores, nec non vassallos, nobiles, capitaneos, officiarios & subditos supradictos nullatenus præceptis in dicto monitorio contentis paruisse, sed eumdem Fridericum ducem & alios occupatores & detentores supradictos dictam ecclesiam Tridentinensem, ciuitatem, terras, oppida, castra, villas & alia iura & bona prædicta tenere indebite & contumaciter occupatas & occupata, contra sententiam & præceptum serenissimi regis Romanorum, cui iureiurando stare promisit, de quo & eius obligatione constat publicis documentis: ideo volens præfata Synodus tantam inobedientiam & rebellionem notoriam vlcisci cum Apostolo, ne tanti mali peruersitas transfeat præsumptoribus in exemplum, per hanc sententiam, quam fert in his scriptis, pronuntiat, decernit & declarat, dictum Fridericum ducem Austriae anathematis & sacrilegii vinculis innodatum, periuriique reum, nec non poenas priuationis & inhabilitationis in constitutione Carolina prædicta contentas, eumdemque Fridericum ducem & alios occupatores & detentores, tam ecclesiasticos, quam sæculares, vassallos, nobiles, capitaneos, officiarios & subditos inobedientes & rebelles ecclesiae & ciuitatis Tridentensis, ac oppidorum, castrorum, terrarum, villarum & locorum, nec non iurium & bonorum dictæ ecclesiae, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis aut præminentiae, etiam si ducalis fuerint, poenas, sententias & censuras alias in dicto monitorio comprehensas & expressas incidisse, ipsiusque Friderici ducis Austriae & aliorum occupatorum, detentorum, & alia loca quæcumque ecclesiastico supposita interdicto. Vnde eadem sacrosancta Synodus diuersos & singulos venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, ac dilectos ecclesiae filios abbates, priores, præpositos, decanos, archidiaconos, scholasticos, cantores, thesaurarios & canonicos, tam cathedralium quam collegiatarum, parochialiumque ecclesiarum rectores & locatenentes eorumdem, ceterosque plebanos, curatos & non curatos, clericos, notarios & tabelliones publicos per Italiam & Alemaniam constitutos, & alias vblibet & eorum

quemlibet in solidum , ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ peruererint , tenore præsentium requirit, atque monet primo , secundo , tertio & peremptorio terminis communiter & diuisim , eisque & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ , & sub excommunicationis poena latæ sententiæ districte præcipiendo mandat, quatenus statim visis præsentibus dictum Fridericum ducem Austriae anathematis & sacrilegii vinculis innodatum, periuriique reum , nec non penas priuationis & inhabilitationis prædictas , ac eorumdem & occupatores ac detentores , vassallos , nobiles , capitaneos , officiarios & subditos inobedientes & rebelles , prædictas penas , censuras & sententias alias in dicto monitorio contentas incidisse , singulis diebus dominicis & festiuis in eorum ecclesiis , monasteriis & capellis infra Missarum solennia , dum ibidem populi multitudo ad diuina audiendum , aut alias congregata fuerit , etiam alias vbi & quando & quoties expediens fuerit. Et postquam vigore præsentium ipsi , seu aliquis eorum , requisiti fuerint , seu fuerit requitus , pulsatis campanis , candelis accensis , & demum extinctis & in terram proiectis , publice denuntient & euident , & ab aliis publice , quantum in eis erit , denuntiari & euitari ab omnibus Christi fidelibus faciant & permittant. Et præsentem nostram declarationem , seu sententiam , & omnia & singula in eis contenta publicent , insinuent , & ad intellectum Christi fidelium adstantium exponant , & plenarie exequantur , donec & quo usque super præmissis absolutionis beneficium meruerint obtinere , & a prædictis rebellionibus destiterint , & debite satisfecerint , aut aliud a dicta sacro sancta Synodo , vel futuro summo pontifice habueritis in mandatis. Et quia idem Fridericus dux Austriae , Pharaonis imitatus duritiem , more aspidis surdæ obturauit aures suas , huius sanctæ Synodi preces & monita , suorumque amicorum & præfati regis sententiam & iusurandum despiciens ; tanta exigente duritia , cogitur hæc sancta Synodus de finali remedio prouidere , cum nihil profit sententias ferre , nisi sit qui eas debitæ executioni demandet. Committit ergo præfata sancta Synodus præfato clarissimo filio ecclesiæ defensori & aduocato Sigismundo regi Romanorum semper

semper Augusto , cuius specialiter interest, ad requisitionem ecclesiæ contritas & oppressas ecclesiæ restaurare , & ecclesiasticas personas a violentiis & iniuriis defensare , & eamdem sententiam executioni demandare , & ceteris principibus ac Christi fidelibus , vt ad restitutionem dictæ ecclesiæ & ciuitatis Tridentinæ , & omnium bonorum & iurum ipsius , & eius integrum libertatem & indemnitatem seruandam , contra dictum Fridericum Austriæ ducem , & alios occupatores & detentores præfatos , vt nostrum præfatum monitorium realem executionem obtineat , brachium impendant , fauorem & auxilium gladii & potentiarum omnimodarum sæcularis . Decernit insuper hæc sancta Synodus ad pleniorum executionem habendam , processum contra omnes intrusos & intrudendos in dicta ecclesia & ciuitate Tridentina , ac castris , oppidis , terris , villis , locis , possessionibus , iuribus & bonis eiusdem , & contra adhaerentes eidem duci Friderico & occupatoribus & detentoribus , ac intrusis & intrudendis , ac contradantes auxilium , consilium aut fauorem . Quem quidem processum , etiam omnes & singulos processus necessarios & opportunos committit venerabili Petro episcopo Straguriensi , cum potestate subdelegandi , & aliis clausulis in forma debita & consueta , supplens quoque eadem Synodus omnem solennitatis defectum , si quis forsan fuerit in praemissis . Lectis autem his , reuerendissimus dominus Iohannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis , iuxta consensum & voluntatem omnium nationum , & alias propter discordiam nationum , quoad ordinem , respondit pro vice præsenti per verbum , Placet .

SESSIO XXIX.

ANNO & indictione quibus supra , die vero Lunæ octaua mensis Martii fuit celebrata sessio generalis in ecclesia Constantiensi , pro accusatione contumaciae domini Petri de Luna , Benedicti decimiertii in sua obedientia nuncupati : in qua reuerendus pater dominus Nicolaus episcopus Aquensis Missam de Spiritu sancto celebrauit , & reuerendissimus pater dominus Iohannes episcopus Ostiensis , sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius , præsedit . Litaniis autem aliis

Concil. Tom. 29.

Yyy